

ut Erasmice loquar. Quattuor ludi erigentur, — ita enim aiunt —: Lonicerus apud S. Petrum Iuniorum, Chelius in summo templo, Otho Brunfelsius apud S. Thomam, Bonifacius Wolfhardi¹⁾ apud Petrum Seniores; singuli suos habebunt cooperarios; sed hactenus nemo vocatus est præter Othonem cum suo συνεργῶ. Expectamus omnes suam quisque prædam; sed vereor, nimium longas moras nectant. Ubi processerit negotium, diligenter omnia scribam; interim tamen mei Chelive memorem te esse velim. Mallem ego apud vos 60 florenos quam hic 70. Περὶ Λοπαδίου πάντα μοι γράψετε· τοῦτον γὰρ ἀσθενούντα ὁ Χέλιος ἰστένησε ἡμῖν. Saluta diligenter nomine meo Vannium, fratrem tuum Thomam et imprimis Zwickium, cui in brevi scribam gratias acturus homini optimo propter beneficia, quæ ἀφ' ὁμοῦ Martino Stamensi²⁾ impendit; quin et tibi non minores debeo, sed humanior es, quam ut id genus gratiarum desyderes, id quod et mihi de Zwickio indubie persuadeo. Septuaginta hic excusi sunt aliquanto et elegantius et accuratius quam novum testamentum. Stapulensis³⁾ adhuc hæret hic in ædibus Capitonis, alii item Galli eruditissimi. Farellus⁴⁾ te salutatur. Confugit etiam huc Paulus Phrygio Selestadiensis⁵⁾. Sed iam satis nugarum. Tu vide, ut me ames, atque vale in Christo. Ex Argen(torato) XIX. Martii anno XXVI.

Eben berichtet der Knabe meines Hausherrn, man habe in der Mauer des Klosters St. Klara, das niedergedrungen wird, eine ungeheure Menge Silbermünzen mit dem Bilde eines englischen Königs gefunden, die vor zweihundert Jahren in einer eisenbeschlagenen Truhe in der Mauer eingeschlossen worden sind. Man hat sie in den städtischen Schatz gebracht.

105. Urbanus Rhegius an Ambrosius und Thomas Blaurer.

x, 88.

Augsburg 1526 Juni 14.

[Die Umtriebe der Gegner: Eck, Nachtigall, Kretz. Die Disputation in Baden. Langsamer Fortgang der Reformation in Augsburg. Grüße.]

¹⁾ Bonifacius Wolfhart, Lehrer und Prediger in Straßburg, von 1531 an Pfarrer zu St. Moritz in Augsburg, 1543 gestorben. Vgl. über ihn Wolfart in den Blättern f. bayer. Kirchengesch. VII und VIII (1901 f.).

²⁾ „Stainensi“? Unbekannt.

³⁾ Jacobus Faber Stapulensis (Jacques Lefèvre d'Étaples), berühmter Gelehrter, Übersetzer der französischen Bibel, fand, aus Meaux vertrieben, vorübergehend in Straßburg eine Zuflucht, s. Röhrich, a. a. O. I 2, S. 272.

⁴⁾ Wilhelm Farel, 1489—1565, war, wie Faber aus Meaux ausgewiesen, nach kurzem Aufenthalt in Basel nach Straßburg gekommen, ging von da nach Mömpelgard und wurde später der Reformator der französischen Schweiz.

⁵⁾ Dr. Paul Seidensticker (Phrygio) aus Konstanz (1483—1543), Stadtpfarrer zu Schlettstadt, 1529 Prediger, 1531 Professor in Basel, 1535 nach Tübingen berufen.

הַסֵּדֶר וְשָׁלוֹם מֵאֲדוֹן עוֹלָם לָכֶם

Raro admodum tabellarii obtingunt, fratres charissimi, qui Constantiam aut Ravenspurgum proficiscantur; ne me fratrum oblivisci putetis et in amicitia tepescere. Hodie a concione domum redeunti obvius mihi fit Metellus¹⁾, civis vester, quem nolebam abire vacuum literarum mearum ad eos præsertim, quos mihi christianæ professionis sinceritas arctissime coniungit. Quid autem aliud scribam quam nostri seculi tragœdias, ut vicissim a vobis discam, quid per antichristi nuncios apud vos geratur? Eccius ante menses aliquot Augustam transmisit librum, cui titulus: „Missah est sacrificium“, in quo insigne mendacium contra Augustanos confinxit. Liber iam pene excusus erat per S. Grymm²⁾, et mendacium proditur; exemplaria in prætorium portantur; S. Grymm, etsi ignarus rei, capitur et aliquot horas in vincula coniiicitur, mox liberatur bonorum precibus. Nihil unquam vidi impudentius hoc Eccii libro; nemini parci, singulos pene versus conviciis virulentissimis refert et nominatim perstrinxit præcones verbi, quotquot per Germaniam Christum prædicant. Nusquam alias Eccii vel inscitia vel impudentia evidentior facta est. Luscino³⁾ corrigendi libri negotium datum est. Hic audissetis tonitrua; publice clamabat in manibus esse librum, quo edito Lutheranis nihil prorsus superesse spei, homo in divinis literis nullo iudicio; non potest dici, quantum insolescat Svevicæ confederationis præsidio. Cretzius⁴⁾ rudior est, quam ut magnopere a nobis timeri debeat. Quodsi veritatis studio disputaturi erant, Augustæ mansissent, ubi nos publice papistas omnes quotidie ad disputandum provocamus. Longe alia cogitant viri sanguinis, quam præ se ferant; omnes eorum contiones furcas et laqueos resonant tanto furore, ut Neronem olim in christianos clementiorem fuisse crediderim. Fama est Nachtgallum durius, quam vellet, Constantiæ exceptum. Scribite, quæso, rem omnem, ut fratres meos eius rei certiores reddam; mentietur homo multa, cum redierit, et triumphos iactabit. Quid in Thermis Badensibus agatur, nescimus hic, nisi quod Eccium probe putamus madescere, vino tamen

¹⁾ Gnade und Friede von dem Herrn sei Euch in Ewigkeit.

²⁾ Jedenfalls ein Mötteli, vgl. jenen „Mottlynus institor“, S. 47, Anm. 6.

³⁾ Sigmund Grimm, Buchdrucker in Augsburg.

⁴⁾ Otmar Nachtigall von Straßburg, Lektor im Ulrichskloster und Pfarrer zu St. Moritz in Augsburg, von tüchtiger humanistischer Bildung, anfangs kein Gegner der Reformation, später Professor der Theologie in Freiburg. Vgl. Roth, a. a. O. I, S. 130 f. Uhlhorn, Rhegius, S. 138 f. Schreiber, Gesch. d. Univ. Freiburg II (1859), S. 272 ff.

⁵⁾ Mathias Kretz, Domprediger in Augsburg, ebenfalls humanistisch gebildet, vgl. Roth a. a. O., S. 130 etc.

magis quam aqua. Zvinglium abesse Thermis doleo; vicisset enim semel universos papistas excepto peccati originalis negotio, quod impure admodum tractare videtur. De cœna dominica etsi possit coargui, ab illis tamen pseudotheologis vinci plane non potuisset. Præterea scire cupio, quid Ioannes Faber machinetur Constantiæ et quibus technis Helvetios ad Thermas pellexerit; omnino enim rudior et stupidior est Helvetiorum populus, quam ut facile Fabri captiones intelligat. Apud nos vehementer etiamnum remoratur evangelii cursum (עֲבֹטֵי), ut vocat חֲבִיקוֹן¹⁾; fastus inde tantus oboritur, ut vix reperias similem; nam אִיהָ רוֹב עוֹשֵׁר שֶׁם גְּדוֹל גְּאוּהָ²⁾, quo fit, ut plerisque simus admodum odiosi. Sed hæc est sors veritatis et אִוֹנִים בְּרָקִים אִוֹנִים³⁾. Præstet dominus, ut respiscamus, amen. Scripturi ad me vel Lindoiam transmittite literas Ioanni Humel mercatori vel Memingiam, et quamprimum ad me perferentur. Salutate nomine meo Ioannem Vannium, Zwickium et si quos habetis fidos fratres in domino. Ex Augusta 14. Iunii anno 1526.

Vester Urbanus Rhegius.

Celerrime.

106. Philipp Melanchthon an Thomas Blaurer.

xii, 349.

(Wittenberg 1526 Sommer?)⁵⁾

[Milich wird das Gedicht des Nonnius für Blaurer abschreiben. Lob Georg Vögelis. Der Abendmahlsstreit und der Hyperaspistes des Erasmus.]

S. D. Dedi Milichio Nonni poema⁶⁾, ut describi tibi curaret, quemadmodum flagitasti, neque ego ipse gravarer describere, si neminem haberemus alium, qui id oneris tua causa susciperet; sed ego ita existimo Milichium gaudere sibi oblatam esse occasionem demerendi tui. Nunquam mecum est, est autem quotidie domi nostræ, quin de te deque tua erga se voluntate honorifice loquatur, neque tamen cedit ei in te amando Vogelius. Is, cum hæc scriberem, rogabat me, ut sui mentionem apud te facerem ac te hortarer, ut sua studia propinquis commendes tuque susciperes eum et tuendum et iuvandum, si qua parte posses. Hoc ut facias, te etiam atque etiam, mi Thoma, rogo; est enim humanitatis id tuæ adulescentem flagrantem optimarum artium studio et præditum moribus optimis summa ope iuvare. Mihi nunc

¹⁾ Verschuldung.

²⁾ Habakuk.

³⁾ Wo viel Reichtum, da ist großer Hochmut.

⁴⁾ Die Wahrheit ist (klingt) hart in empfindlichen Ohren.

⁵⁾ Vgl. Bindseil, a. a. O., S. 27. Den einzigen Anhalt für die Datierung gibt die Erwähnung des Hyperaspistes, s. S. 136, Anm. 1.

⁶⁾ Vgl. S. 10, Anm. 1.